



**Rvperti Ab||batis Monasterii || Tvitiensis Ordinis S.
Benedicti The||ologi antiqui, Opera duo, ut egregia sanè,
ita diu desiderata, multoq[ue] || labore perquisita, ac
sumptu haud ita modico ...**

Rupert <von Deutz>

Colonia, M. D. XXVI.

VD16 R 3796

Respo[n]sio ad illos q[ui] dicu[n]t q[uo]d de singulis ordinibus multitudines
cecideru[n] q[uonia]m s[ecundu]m illa[m] s[entent]iam beati Gregorij ex
ho[mi]nibus alij in illu[m], & alij in illu[m], ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71860](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71860)

quos uerbo tangunt, ardere protinus in dei amore faciunt. Qui ergo ita ad amorem sui conditoris inflammati sunt, quo nisi inter Seraphin sortem suae uocationis acceperunt.

Responso ad illos qui dicunt, quod de singulis ordinibus multitudines ceciderunt, quonia secundum illam sententiam beati Gregorij et hominibus alij in illi et alij in illi ordine sint assumpti siue assumendi. Cap. XVII.

Dum haec dicit, scilicet ex hominibus alios in angelorum, alios in archangelorum numero deputari, alios inter supernas uirtutes, alios inter caelestes potestates, alios inter principatus, alios inter dominationes, alios inter thronos, alios inter Cherubin, alios inter Seraphin, accipere sortem suae uocationis nonnulli solent asserere, quod de singulis ordinibus multitudines ceciderint, quos et idem in singulis ordinibus ruinae debeant ex hominibus reparari. Quid ad haec dicere potuimus aut possumus? Hoc enim pertinet ad rationes illas, de quibus scriptum & supra memoratum est. Numquid nostri ordinem caeli, aut ponas rationes eius in terra? Dicimus ergo. Si de scriptura qualibet canonica, confirmare possent opinionem illam, qua praeuenti sunt, dicentes, angelos siue spiritus illos mox ut creati sunt in suis ordinibus constituisse, moxque & illos cecidisse, & istos in gradibus suis perstitisse, concedendum esset opinioni illorum. Nunc autem non ita est. Nulla enim scriptura canonica opinioni illi suffragatur, immo & prophetica ueritas apud Ezechielē oppido refragatur, ut longe supra memorauimus. Proinde recte e contra quaerimus. Quid illi spiritus beati remunerationis acceperunt pro eo, quod peccantibus apostaticis spiritibus, ipsi peccare noluerunt? Si enim iam tunc erant ut nunc sunt in ordinibus suis stabiliti atque perfecti angeli, archangeli throni, dominatores principatus, potestates, uirtutes, Cherubin, atque Seraphin, quomodo exinde tam multi cadere potuerunt? Verbi gratia. Si erant in ordine Seraphim, id est, eorum angelorum qui diuini amoris igne ardent, siue incendunt, quomodo inde excidere potuerunt? Immo quomodo unquam illius amoris dulci ardore aruisse putandi sunt? Verius ergo & rationabilius hoc dicimus, quia in remuneratione pro eo, quod non peccauerunt, & creatori suo subijci maluerunt, ordines illos acceperunt, quos habent nunc, in hoc ipsum ordinati uerboque domini & spiritu oris eius firmati, ut amplius cadere, id est peccare non possint sicut lapides supra memorati, auro astricti, tenentur in ordinibus suis dispositi secundum scientiam artificis, ligando ordinati, ordinando ligati, ut excidere non possint, nec aliud doctoris supra dicti sermo bene perspectus recipere nos compellit.

Alia scientia de similitudine nouem ordinum angelorum et nouem charismatum spiritus sancti, que secundum apostolum hominibus data sunt, dicentes: alij quidem per spiritum datur sermo sapientiae, et cetera. Caput. XVIII.

Nunc iam, quia sermo idem nos laetificauit secundum speciem quam dominus ipse fundauit dicens, aequales enim sunt angelis, cum sint filij resurrectionis: quia (inquam) sumus eiusdem nouem ordinibus disponendi, perpulchrum est considerare, quia quot sunt illic a spiritu oris domini ornamenta caelorum, tot sunt hic in hominibus sanctis ab eodem spiritu diuisiones gratiarum. Sic enim ait apostolus. Vnicuique autem datur manifestatio spiritus ad utilitatem: Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiae, alij autem sermo scientiae secundum eundem spiritum. Alteri fides in eodem spiritu, Alij gratia sanctorum in uno spiritu, Alij operatio uirtutum, Alij prophetia, alij discretio spirituum, alij generalis linguarum, alij interpretatio sermonum. Haec autem omnia operatur unus atque idem spiritus, diuidens singulis, prout uult. Hoc ergo qui proppendit, scilicet electionem ex hominibus tot esse charismatum uarietate ornatam, quot ordinibus illos beatos spiritus constat esse distinctos: potest etiam apte secundum eadem charismata conijcere, qui uel quales homines, quibus aut cuius ordinis angelis similes debeant existimari. Denique qui habent interpretatio nem sermonum, ut saltem in una lingua possint enunciare sensum scripturarum ad utilitatem audientium, nonne angeli sunt? Labia enim sacerdotis (ait dominus in Malachia) custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius, quia angelus domini exercituum est

Quiaque

Iob. 38.

Ezech. 28.

Remuneratio angelorum.

ab eodem spiritu datur

Luca. 20. Diuisiones gratiarum tot sunt, quot ordines angelorum. I. Cor. 12.

Qui homines in quibus angelorum orationes recipiunt.

Malach. 2.